



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Amore Dei - non in solis haerente contemplativis, & jucundis affectibus, sed parato, quidvis vel durissimum agere, & pati, si Deo id gratum fore videat: neque contento, plùs eum quibuscuncque aliis rebus amare, sed certo insuper, nihil omnino ex quibuscuncque rebus aliis amare, quod ...

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Cap. XXIX. Quomodo, & quatenus anima Deum amans, hominum æstimationem, amorémque vitare, & contemptum, atque aspersionem quærere debeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54515)

CAPUT XXIX.

Quomodo, & quatenus anima DEUM amans, hominum æstimationem, amorémque vitare, & contemptum, atque aspersionem quærere debeat.

Sed quoniam verus, solidusque Dei amor cum fortitudine in superandis obicibus prudentiam conjungit in moderandis excessibus; futurum è re arbitror, si præter regulam universalem superius positam non exercendi humilitatem, ultra quam veritas, & charitas ferat, observemus peculiare aliquos actus, in quibus ex nimio proprii contemptus studio posset altera prædictarum virtutum, nempe charitas lædi: nam ad veritatem quod attinet, satis unicuique jam constat, nullius honesti finis respectu fas homini esse, mendaci sermone aut verum de se inficiari bonum, aut falsum sibi malum affingere. Inconsultè igitur, plusque justo, quia non finè alterius malo, & charitatis offensa, suum contemptum amaret, primò, qui ab aliquo falsis se criminationibus publicè infamari, seu colaphis per-

contumeliam cædi, seu aliis de hoc genere indignis, & divina lege vetitis probris affici peteret; siquidem ignominia suæ gratiâ peccare alterum vellet, quod nullo pacto fas est, quamvis, si fortè id contingat, possit homo nolendo fratris culpam suam indè proveniens dehonestamentum amare. Secundò, erraret similiter, qui sua vitia, & malefacta in aperiret, quo non temere credere possit, spiritualem indè noxam, exemplum videlicet, atque incitamentum similiter peccandi, sumpturos. Tertiò, justum quoque in humilitate excederet modum, qui alios in Christiana pietate, aut liberalibus disciplinis pro suo munere excolens, putà Concionator, aut Ludi magister, studeret in exigua opinione esse seu doctrinæ apud discipulos, seu prudentiæ, virtutisque apud populum; perinde enim hoc esset, ac nolle utiliter ministerio suo fungì, nec ad debitam frugem, quos suscepit colendos, perducere: *quibus, ut ait D. Augustinus, prodesse non potest, si nimia dejectionis vitioscat. (Ep. 64.)* Quare, qui talia munera colunt, quamvis se non debeant pro præstantioribus, quàm re ipsa sint, venditare; justam nihilominus debent necessariæ sibi æstimationis curam gerere: neque in medium profecto

re, sed potius clam habere suos defectus, qui ad minuendam, & labefactandam eam valent. Quartò, non dissimilem mereretur notam, qui legitima cum potestate aliis præpositus, eam à sibi subjectis reverentiam non exigeret, quæ cæteroqui ad rectam gubernationem necessariò requiritur, permittens, ut impunè imperia sua frangant, & quasi ex æquo sibi obloquantur. Nam ibi quoque, juxta ejusdem Augustini observationem, *dum nimia servatur humilitas, regendi frangeretur autoritas.* (Ep. 109.) Quæ autoritas, quemadmodum non Præsidis, sed subditorum utilitatem pro fine suo habet, sic minimè ab illo potest sinè horum damno, & incomòdo negligi. Quintò demum nimietatis damnandus hoc in genere esset, qui ex suprà laudato humani favoris, gratiæque odio, dum infidelium, vel sceleratorum hominum conversioni operam navat, nollet (quod à providis Evangelicæ vineæ operariis factitatum semper est) eorum sibi studia, & benevolentiam conciliare, parùm advertens, quantò ii meliùs erga se affecti fuerint, tantò itèm proniores ad suam institutionem excipiendam futuros: quemadmodum etiam, qui eadem de causa contubernaliùm suorum animos officiorum neglectu,

rusticâque agendi libertate abalienatum à se iret, jactans se hoc pacto inanem hominum respectum, & reverentiam proterere: cum revera per ejusmodi contumaciam charitatis leges proterat, quæ nulli hominum justam offensionis causam præberi, sed omnes potius accuratissimè observari, eorumque studiis, ubicunque fas sit, morem geri imperat: prout magnum vas electionis Paulus & faciebat ipse, & fieri à Corinthiis suo exemplo volebat, scribens ad eos: *Sinè offensione estote Judais, & Gentibus, & Ecclesiæ DEI: sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens, quod mihi utile est, sed quod multis.* (Ep. 1. c. 10.)

2. Unde colligitur, licet, quanto quis impensius DEUM amat, tanto magis suam apud homines & æstimationem aversetur, & despicientiam appetat; non tamen quisquam re ipsa enixius illam fugit, & hanc confectatur, eundem laudabilius semper operari, & DEO magis placere: sed multoties, ut in commemoratis modò actibus, quærendum homini suum honorem, suamque esse abjectionem vitandam: non quidem illius ex amore, hujusque odio (id enim alienum à perfecta humilitate esset) sed (quod de summa interioris humilitatis perfectione nîl detrahit)

hit) ex mero fraternæ charitatis impulsu: adeò ut ab universali jam pridem concepto honoris sui odio incitetur, ad eum quoque fugiendum, quem in supradictis casibus sibi obvenire videt: sed animadvertens proximorū utilitatem secùs suadere, hujus respectu priorem suum instinctum cohibeat, patiatúrque eum admittere, quod universè alibi refugit: non utique deponens, aut minuens vel tunc illius odium, sed solummodo juxta ejus instinctus non operans, ratione alterius non minùs honesti, & validioris motivi, quod à charitate suggeritur. Nec secùs circa alteram quoque partem se gerat, hoc est circa abjectionis suæ fugam, ad quam itè perfectæ humilitatis sectator, ubi id charitas exigit, inducere animum debet, non libens, volensque, sed suspirans præ desiderio illius, quod recusat, necessitatèque incusans, cujus vi ad rei tam dilectæ abdicationem compellitur. Quem admodum Paulus Apostolus, licèt ardentissimè optaret *dissolvi, & esse cum Christo*, nihilominus respectu proximorum, illius ope indigentium, amarissimam mortalis sui exilii prorogationem patienter ferebat.

3. Erit fortè, qui roget, num inter suprà dictos excessus connumerari debeat, an

potiùs pro legitima, inò & præstanti humilitatis exercitatione haberi, quòd deterior apparere quis studeat, quàm revera sit, non quidem falsi quidquam de se affirmando, sed nonnulla duntaxat coram aliis faciendo, aut dicendo, unde illi possint ad minùs honorificam de ipso opinionem concipiendam induci. Ut putà si cenodoxiam jugulaturus uno ictu, & à tentationibus illius liber in perpetuum futurus, stulti personam, Simeonis indè cognominati exemplo suscipiat, & ferre deinceps in omnibus vitæ suæ dictis, atque actibus pergat. Aut si ad minuendam sanctimonix suæ famam publici aliquid faciat, non quidem naturâ suâ malum, sed exima specie minùs decorum, neque factitariæ eximix virtutis hominibus solitum: inflat S. Philippi Nerii, qui (*In Vit. L. 2. c. 18.*) interdum incedebat per urbem, florum fasciculum manu præferens: cùmque à viris publicis domi inviseretur; ex quopiam de via libello ridiculum aliquid coram iis legere veluti materias sibi specialiter arridentes videbat. Aut si, quò minoris ingenii, doctrinæ, ac prudentiæ existimetur, in disputationibus Academicis superari ab adversario industria se sinat, vel publicè differens ab

Etata simplicitate risus Auditorum provocet.
 Quale P. Prancisci Cordubæ, viri inter nos
 tum generis nobilitate, tum aliis dotibus spe-
 ctatissimi artificium fuit: (*In Vit. P. Balt. Al-*
var. c. 30.) quum in domestica concione San-
 ctum nescio quem laudans, discrepantiam
 proposuit inter duo illius vitæ exemplaria,
 alterum Cæsaraugustæ, alterum alibi impres-
 sum: subjiciens postremò ad decisionem con-
 troversæ, Cæsaraugustanum codicem, utpo-
 te grandioribus literis, ac proinde lectu com-
 modioribus excusum, sequendum sibi potiùs
 videri. Quæ tam inepta decisionis ratio,
 quantò asseverantiùs, vultùque, & sermone
 magis serio ab eo prolata est, tantò majorem
 ridendi ansam, ceu bardæ, obtusæque men-
 tis specimen Auditoribus præbuit. Neque
 verò exigua esse ratio ambigendi de bonitate
 similium artium videtur. Nam una ex par-
 te, si adhibeantur ab hominibus, quorum æ-
 stimatio non est necessaria iis, penes quos
 minuitur, neque charitati erga alios quid-
 quam derogant, & humilitati eas usurpanti-
 um insigniter profunt. Ex altera verò non
 videntur posse ad majorem humilitatis perfe-
 ctionem spectare, quia hoc admissio humili-
 tas, assequendæ majoris perfectionis causâ,
 A a a 4 si

simulationibus, & figmentis egeret, quod longè abhorret à natura cujuscvis virtutis, & hujus potissimùm, quæ adeò specialiter veritati est amica. Et confirmatur id ipsum exemplis virorum sanctitate in Ecclesia præstantium, quos communiter, licèt humillimi essent, nullo tali artificio usos esse accepimus ad sui depressionem quærendam.

4. Sed non magni negotii res est, propositam quæstionem resolvere. Quod ut explicatiùs fiat, dico primùm: quòd aliquis de industria fictum hebetioris ingenii, incertaque, & exiguæ virtutis specimen præbeat, (dummodo id non agat coram iis, quibus utile est præclaram de ipso opinionem habere, neque indè aut dedecus cœtui, cujus ipse pars est, aut nimius necessariis, amicisq; illius pudor proveniat) actum esse naturâ suâ honestum, nec vulgari in laude ponendum. Et ratio, cur ita sentiam, est, quia falsum judicium, quod de ipso homines concipiunt, tanquam de minùs docto, vel probo, quàm vera sit, non nisi levissimum mentis est molum; at contrà fructus ipsi amplissimos parit, adjuvans nempe illum, ut altiores in abjecta sui æstimatione radices agat, animùmque perfectiùs ab humani honoris desiderio avellat.

Qua-

Quare justissimam habere causam videtur, tantum suum bonum tantulo impendio parandi. Adde, quod si nequaquam ex generali mortificationis, hoc est vincendi sui studio, sed ex proprio humilitatis, hoc est infimæ de se ipso opinionis impulsu, ita diminueri sui æstimationem apud homines quærat; dici potest non tam curare, ut alios decipiat, quàm ut deceptos à suo errore deducat, idque duplici modo. Primò, quatenus præ sincera exiguæ suæ virtutis, doctrinæque notitia persuasissimum habet, non tantas revera in se esse has dotes, quantæ ab aliis existimari videntur: quapropter falsam illam suo iudicio eorum de se opinionem non ferens, neque aliam reperiens corrigendæ illius viam, præter simulationem contrarii in particulari quopiam dicto, factove, hac uti decernit, non quidem ut ii prorsus errent, sed ut minus circa se errent. Quærit igitur, solœcismum exempli gratiâ in loquendo de industria faciens, imperitior Grammaticæ haberi, quàm sit; ut qui falsam de illa particulari sua incitiam opinionem concipit, falsum simul exuat de doctrina sua universè accepta, & ultra verum æstimatedum iudicium. Quemadmodum etiam aliquid sibi coram aliis oblectati-

onis, & commodi indulgens, quo ceteroquæ
solus, & seorsum ab arbitris fraudare geni-
um confuevit, vult ab iis falsò existimari mi-
nùs deditus severitati erga suum corpus; ut
errantes in iudicio de hac sua particulari vir-
tute liberentur à majori alio, quia patente la-
tius errore circa totius suæ sanctimonix præ-
stantiam. Alter modus potest esse, quatenus
sua secum vitia, & peccata perpendens, ve-
luti extremo apud omnes contempu dignum
se credit, sic pro certo habet, longissimè à
vero eos aberrare, qui eximiam de se opini-
onem habent; quapropter non se illos falle-
re, sed potius à falsa persuasione revocare
existimat, si quacunque possit seu vera, seu fi-
cta ratione, ad minùs magnificè, hoc est mi-
nùs falsò, de se sentiendum, & ad se pro vili,
nimirum pro eo, qui revera est, habendum,
conetur inducere. Esto quippe decipiantur
aliquatenus, dum se contemnunt, quantum
ad eam partem, secundùm quam non mere-
tur contemni; indè tamen fit, ut decipiantur
minùs secundùm universale de sua dignitate
iudicium, prorsus scilicet accedentes hoc pa-
cto ad summum illum, & generalem sui con-
temptum, qui sibi revera debetur, & in quo
procul dubio se haberent, si suæ totam mali-
tiz

tix, ac vilitatis summam intimo obtutu perspicerent.

5. Quòd si sancti viri, paucis quibusdam exceptis, nequaquam perhibentur pia hæc figmenta usurpasse, non id factum est, quòd illa improbarent, contemnerentque: sed vel ideo, quòd spirituali proximorum culturæ operam dabant, ac propterea, ut juvare illos melius possent, bona illorum æstimatione indigebant; veluti D. Ignatius Loyola, qui agebat: (*In Vit. L. 5. c. 3.*) hoc unum sibi obstare, nè, quod cæteroquin libentissimè egisset, stulti opinionem apud vulgus captaret: vel qui veriti sunt, religiosæ suæ familiæ honorem minuere; ceu B. Aloysius Gonzaga: (*March. in Vit. L. 2. c. 8. & Cep. p. 2. c. 5.*) qui hoc respectu est cohibitus, nè in publica disputatione dedecoris, pudorisque sui gratiâ affectatum ignorantix specimen daret: vel demum, quia cum singulari quodam studio affecti essent erga sanctam simplicitatem, non potuère animum unquam inducere, ut ab ea vel latum unguem deflecterent, & quacunque, esto pia de causa, simulatè aliquid facerent, dicerentque. Quamquam ultima hæc ratio minorem vim habeat, si quis animadvertat, præstantiorem se, quàm re ipsa sit, ab

ho-

hominibus existimari; tunc enim ab ipso met
 sinceræ veritatis studio videtur posse impelli,
 nè patiatur ita diversus apparere ab eo, qui
 in se est, & alios, quamvis absque sua culpa
 decipere: sed conetur potius omni arte, &
 industria illam immeritæ dignitatis larvam
 exuere, quam sibi alienus error imposuit.
 Præterquam quòd neque certò affirmari de
 ullo sanctorum virorum potest, à piis hisce
 figmentis eum penitus abstinuisse. Cùm enim
 priorum defectuum simulatio tunc artifi-
 ciosissima, & quàm maximè accommodata ad
 finem suum sit, quando ita dissimulante,
 procúlque ab omni artis specie illos exhibet,
 ut non efficti, sed veri defectus appareant;
 quidnam argumenti, & rationis est, cur di-
 cendum sit potius, omnia errata, in quæ la-
 psum aliquando sunt sancti viri, ex eorum mi-
 nori animadversione, vel inhabilitate ad me-
 liùs operandum fluxisse, quàm ipsos in mul-
 tis actionibus, ubi error ab omni culpa, &
 proximorum damno aberat, sponte, ac de-
 dita opera errasse, quòd sui apud alios æstima-
 tionem minuerent: tanta suum id proposi-
 tũ dissimulatione obtegentes, ut nemini sub-
 oleret, quidquam per artem geri; sed quod
 voluntaria humilitas erat, pro naturali im-
 perfectione haberetur.

6. Dico secundò: quanquam prædictarum artium usus intrà limites suprà definitos honestus, & laudabilis sit, posse illum tamen non minori cum virtutis laude omitti, si id non ex proprii contemptùs metu, sed ex sinceræ veritatis, vel honesto alio, & supernaturali respectu fiat: quia ubi ex duabus causis, inter quas non facile definitu est, utra sit honestior, an ea, quæ ad opus aliquod impellit, an altera, quæ ab eodem revocat; possumus pari cum laude utramque sequi, sive rem faciendo juxta unius motiva, sive juxta alterius ab illa abstinendo. Imò addo, fieri posse, ut sui despicientiam, & abjectionem plus amet, qui honestis aliis de causis eam quære alicubi omittit, quàm qui nulla inhibitus idonea, & rationabili causa eam ubique aucupatur: quemadmodum, qui minùs largos sumptus in pauperes facit, ut creditoribus promptè, exactèque debitum solvat, potest majori erga illos misericordiæ sensu, & bene merendi voluntate affici, quàm alius, qui nullo ære alieno obstrictus, plus pecuniæ iisdem distribuit. Quare, sicuti ad majorem erga egenos misericordiam haudquaquam necessarium omnino est, iis semper stipem largiri, neque, ubi quisquam respectu justitiz

tiz

tix, aut alterius virtutis id facere omittit, cenferi propterea parùm munifici, & misericordis animi potest; sed is solummodo existimari talis meretur, qui ex avaritia, & fraternæ charitatis defectu, parcius quàm posset, indigentibus subvenit; ità neque ad summam humilitatis perfectionem necessariò requiritur, ut quis omni genere artium utatur, quæ ad viliorem sui æstimationem in animis hominum excitandam conducunt: nec proinde, si quispiam, esto cæteroquin abjectionis suæ maximè appetens, ex validiori alterius virtutis instinctu ab aliqua prædictarum artium usurpanda abstineat, jure appellari minis humilis potest: sed in eos tantùm hujusmodi convenit nota, qui, licèt nulla honesta ratione cohibiti, ex mera proprii contemptus aversatione, aut saltèm remissiori cupiditate illum, quacunque fas sit, persequi abnuunt.

7. Nihilò tamen minùs, si aliquis, utpote in humilitatis studio adhuc tyro, crebrò se inquietari experiretur anxiiis humanorum de se judiciorum, & sermonum curis, utilius tamen, & probante, qui in spiritali vita illum dirigit) nonnulla ultro faceret, ad minuendam in aliis suæ virtutis, scientiæ, inge-

nii, & iudicii opinionem idonea: veluti exempli gratiâ, si coram aliis, præcipuéque iis, quorum iudicia magis veretur, aliquam remissionem animi, vel oblectationem corporis sumeret, permissam illam quidem, sed à viris spiritualibus, & austerioris vitæ studiofis vitari solitam: idque vel sinè ulla necessitate, & nihil aliud pro fine habens, nisi ut propterea gregariæ virtutis homo existimetur. Aut si publica, & solenni quapiam actione functurus contentus esset, mediocri diligentia, non summo quo possit studio sese ad eam præpararet: neque interdum renueret, si invitetur, aliquam ex iis imparatus, atque ex tempore obire, ut scilicet expectationi, quæ in animis Auditorum de ipso erat, parùm respondeat, & plausum locò pudorem indè, ac dedecus referat. Imò suaderem ipsi hac agendi ratione uti, & coram iis, quibus melior de ipso existimatio esse utilis potest: nimiùm enim quantum divinæ charitatis perfectioni obsunt, importuni humanarum opinionum respectus: paxque, & libertas interior, quæ per voluntarias hoc genus sui depressiones brevi tempore acquiri consuevit, longè majoris momenti est, quàm quæ sinè ipsis suppeteret, alios paulò melius juvan-

van-

vandi habitudo. Exemplo fit Christophorus Consalvius, nostræ Societatis Sacerdos, eximiis à DEO, & peculiaribus donis inter orandum decorari solitus. Qui, ceu refert Ludovicus de Ponte, (*In Vita Balt. Alu. c. 47.*) rogatus à se pro mutua familiaritate, quo tempore, quóque modo præcelsæ illud orationis munus consecutus à DEO esset; tunc id evenisse, respondit, quando forti, magnóque animo statuit, quidquid minùs honorificè opinari de se homines possent, nihili perdere. Cùm enim Philosophiæ curriculum non sinè præstantis ingenii fama ingressus fuisset, sentirétque naturalibus gloriolæ stimulis crebrò sibi animum vellicari, & ad implendam de se hominum expectationem urgeri, cœpit è contrario occasiones sui contemptùs venari, & ea studiosè facere, unde crassa, & rudi minerva præditus videretur; sollicitè ad alios explanationis, doctrinæque gratiâ confugiens in multis, quæ cæteroquin per se optimè noverat: inter argumentandum ad prima adversarii responsa obmutescens, ac si progredi ulterius nesciret, aliisque hujusmodi artibus utens: quibus de sua apud homines æstimatione nonnihil detraxit, sed multò plus sibi apud DEUM commendatio-

nis paravit, & magis idoneum intimæ cum eo familiaritatis se reddidit. Grande, & saluberrimum mihi documentum, subdit idem Ludovicus de Ponte: cùm indè cognoverim, neque tam arduum, quàm antea imaginabar, & fructuosius, quàm credidissem, esse sui apud homines despicientiam captare.

8. Dico ultimò: perpetuæ, atque universalis simulationem insanix, esto possit à quopiam cum insigni suæ animæ profectu usurpari, & sic usurpata à nonnullis præstantibus DEI famulis fuerit; si tamen per se ipsam consideretur, & secundum suos proprios effectus, cujusmodi sunt præter alios assiduæ in loquendo, agendoque ineptiæ, incomposita totius exterioris vitæ ratio, quæque indè consequitur, à Sacramentorum usu, & divinis rebus, ac mysteriis proscriptione; non posse in universum probari, nec suscipi à quocquam citra manifestum DEI impulsum, & expressum prudentis moderatoris consensum debere. Cùm palàm sit, quàm multa spiritalis profectûs adjumenta homini eripiat, quantòque illum ad præcipuas quasque tum contemplativæ, tum activæ vitæ exercitationes minùs habilem reddat. Quare nequam prudentis consilii videtur, tot, tantique

B b b

mo-

momenti dispendiis unicum illum, qui inde
provenit, fructum, perpetuam nimirum ab
humanæ gloriæ illecebris securitatem merce-
ri. Præsertim quòd ejusmodi fructus aliis
quoque, de quibus mox agemus, deprimen-
di sui artibus, aut saltèm solitariæ vitæ præ-
dico obtineri sat potest; neque alioquin certa
spes est per imitationem stultitiæ obtentum
usquequaque iri: tum quia fieri vix potest, ut
assidua illa humilitatis dissimulatio nullo un-
quam tempore sagacioris ingenii hominibus
per aliquod argumentum se prodatur, vel cer-
tè suspicionem moveat; tum quia spirituali
saltèm Patri comperta esse debet, idque factum
est, ut, qui eam profiteretur, tentari cenodis-
xiæ titillationibus queat.

9. Missis itaque hæcenus dictis, partim
justum excedentibus modum, partim ancipiti-
tibus, neque ad perfectam humilitatem com-
muniter necessariis, quærendæ abjectionis
sui artibus; illas porrò explicare aggredimur
certiores, magisque proprias, quibus
ti quisque potest, ac debet, ad omnem
mationis, benevolentiaque humanæ am-
rem penitus suo è corde ablegandum.
quantum ad æstimationem (nam de bene-
volentia seorsum infra agemus) cui curæ

illius appetitum, & dulcedinem prorsus in se ipso abolere, ut ita aptior sit ad DEUM toto pectore amandum, debet primò certissimum suo in animo decretum concipere, eam nullo unquam tempore sive aucupandi, sive ultro oblatam admittendi, sed omni potius industria, & contentione enitendi, ut ab ea procul se habeat, illiusque locò, quantum fas est, sibi accersat contemptus, ignominia, & dedecoris.

10. Secundò: consequens deinde est, ut juxta hoc universale decretum studeat semper remove à se, vel intrà se abscondere, quidquid honoris sibi apud homines conciliandi vim habet. Ac proinde, cum vulgi mos sit, eos in primis revereri, quos magnorum principum amicitia florere, honestissimis in republica muneribus fungi, vestiumque splendoribus, & basilico incessu majestatem spirare videt; omnem ipse è contrario inanis pompæ speciem à suo vestitu proscribat, vultu, sermone, & totius corporis habitu modestiam potius, & submissionem, quàm fastum, authoritatè que præferat, familiares cum summatibus viris congressus devitet, nec illustres præfecturas, nisi extrema vi coactus admittet: idque totum, etsi alia ratio-

nes deficerent, una hac de causa, nè in honore, & commendatione apud populum sit. Quod verò ad illas dotes suas pertinet, quas nequit deponere, putà nobilitatem, ingenium, doctrinam, virtutem; studeat, quantum potest, intrà suam conscientiam penitus defossas, atque occultas habere: memor, margaritas, quæ in maris alto delitescunt, candidiores iis esse, quæ in summis fluctibus nantant: (*Plin. L. 9. c. 35.*) repetensque cum *Isaia. (c. 24.) Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Adeò ut nihil dicat, faciatque, unde aliqua ex illius prerogativis venire in notitiam, vel redire in memoriam aliorum possit. Eademque de causa in exercitatione bonorum actuum secretos (si paria sunt cetera) anteferendos semper publicis putet juxta sensum D. Hieronymi, qui de poenitentia Ninivitarum loquens: *Ante, ait, jejunium & sic saccus: ante, quod occultum est, & postea quod palàm: & si ex duobus necessariis alterum detrahendum est; magis jejunium absque saccis quam saccum eligam absque jejunio.* Imò illos ipsos, quos subducere aliorum obtutibus perquit, putà abstinentiæ rigorem, quando cum aliis discumbit, ità dissimulanter exerceat, ut quàm minimè animadverti à circumstantibus possit.

stantibus possint: sive stomachi imbecillitatem, & valetudinis curam suæ in vescendo parsimonix prætexens, sive tantum moræ in eduliis minutatim cultro scindendis, & ore comminuendis trahens; ut quamvis nullum ex iis prorsus intactum relinquat, de quovis tamen minimum comedat; &, licet non prior, levior tamen sociis à mensa confurgat; sive pro eo ut penitus vino abstineat, ordinariisque ciborum condimentis, tam modicè illis utatur, ut usus quidem aliorum oculis, sed absque ullo palati sui oblectamento appareat; sive aliis utens hujusmodi industriis, quas per se ipsum, & suomet ingenio facilè invenit, quisquis hominum æstimationem seriò averfatur. Atque huc itè spectat absolutum illud de se ipso, & rebus suis silentium impensè adeò à B. Catharina Genuensi laudatum. (*In Vita c. 16.*) Cùm nihil ægriùs natura hominis patiat, quàm si nulla unquam mentio sui fiat, cujusdam instar mortis & nihili habens, neglectam se penitus, oblitamque in perpetuæ taciturnitatis sepulchro relinqui. Nè multa: si ex sinceræ humilitatis instinctu omnem sui apud homines famam, æstimationemque odit; celare omnia debet, quæ cognita illius conciliandæ vim habent,

eámque ità celare, ut nequaquam studiosè obtegi, sed revera videantur deesse, prout fieri consuevit ab hominibus, seriò, & bona fide sui abjectionem quærentibus, qui, teste D. Bernardo, (*Serm. 16. in Cant.*) *Viles volunt reputari, non humiles prædicari.* Quod si eorum respectus, qui ad curam suam pertinent, non possent fructuosè ab eo dirigi, si ipsum pro tenuis prudentiæ, doctrinæ, & virtutis homine haberent, nec liceat ei huiusmodi doctes penitus tegere; ità earum notiã, æstimatióque permittenda erit, ut tria hæc interim monita observet: primum, nè ex naturali sua propensione id faciat, sed ex solo alienæ utilitatis impulsu: alterum, nè prædictam sui notiã, æstimatióneque apud alios esse patiat, quàm eos, quibus excolendis operam navat: postremum, nè ab his ipsis exstimari doctus, prudens, ac bonus velit, nisi quatenus ad frugiferam eorum regiminis rationem requiritur, nempe ut eos dociles, ac morigeros institutioni suæ habeat; quam rem necesse non est, excellentissimum apud eos dignitatis locum tenere, summumque in omni laudis genere, & quovis alio præstantiorem, sed sufficienti duntaxat ad eos dirigendos habitudine instructum censeri.

II. Tertiò illud quoque indidem sequitur, ut nè laudibus delectetur, quibus alii magno illum in pretio se habere testantur, imò eas ægre ferat, tanquam rem suo ex genere sibi exosam: sanctissimæ DEI paræ instar, quæ honorificis verbis ab Angelo compellari se audiens, *turbata est in sermone ejus*: aut si grãtas habet respectu laudantis, vel aliorum, quibus fortè utiles sunt; oderit illas pariter sui met causã, cui noxam, vel periculum creant. Si enim, teste Plinio, nonnullæ in Africa familiæ erant, eam à natura nocendi vim habentes, ut, quidquid laudarent, arcano quodam fascino vitaretur: (L. 7. c. 2.) *Quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes*; Verbum divinum longè certiori, eaque universali testificatione confirmat, nullum esse inter homines, cujus lingua corrumpere, & inficere similiter nequeat bona spiritualia eorum, quos laudat: omnes idcirco, ad malefici hujus incantamenti genus metuendum, vitandúque excitans suis apud S. Lucam verbis: (c. 6.) *Vae, cum benedixerint vobis homines*; sui ergo spiritualis periculi memor, debet, quoties laudatur, non minori tristitia affici, quàm humanæ prefatores gloriæ afficiantur, dum vituperari, &

ludibrio haberi se audiunt : adeò ut ingrã-
 tam illam sui commendationem inter prima
 ipsa verba alio illato sermone præcidat : vel,
 si hæc ars minùs ad effectum valuerit, seriam
 animi ægritudinem vultu, ac verbis præferat,
 ut laudator (nè offendant, quem honestate
 gessit) ab incepto sermone desistat : vel de-
 mum congestas in se laudes, præsertim si mi-
 mix, & ultra meritum sint, tanquam falsas, &
 erroneas rejiciat, nonnullis etiam defectibus,
 quorum sibi in eodem genere est conscius ad
 fidem faciendam prolatis. Id verò cum fini-
 ceri, candidique animi significatione agen-
 dum est ; ut audientibus persuadeat, suis illis
 laudibus à se contradici, non quòd ex humi-
 litatis impulsu qualemcunque, esto veram o-
 derit gloriam ; sed quòd ex insito sibi à nato-
 ra simplicitatis studio falsam tolerare, & in-
 debitam nequeat. Quæ persuasio minime
 ab iis conciperetur, si ipse, quidquid in
 commendationem profertur, tamen si certum
 & omnibus patens, negaret ; concipi vero
 tunc solet, quando, qui commendari se au-
 dit, eam suarum laudum partem, quam, quòd
 evidens sit, frustra iret inficias, transmittit
 id tantum abnuit, refellitque, quod laudat-
 oris seu benevolentia, seu credulitatis ad mani-

feſta decora adjunxit: illis verò, quæ ſecun-
dum ſubſtantiam inficiari nequit, conatur,
quantum poteſt, pretii ratione circumſtanti-
arum detrudere. Ità exempli gratiâ, ſi lau-
dante aliquo dictionem à me habitam ego
ſubjiciam, nullius artis, ingeniique rem eſ-
ſe, aliisque ſimilibus generalibus formulis e-
levare illius decus contendam, nihil ſanè a-
pud audientes profecerim, qui mea verba
modetiæ, humilitatiſque imputantes nulla ex
parte diminutam in animis ſuis retinebunt,
quam de me antea æſtimationem concepe-
rant. At contrà ſi dicam, revera illa dictio
ex minimè pœnitendis operibus eſt, quæ la-
bor meus unquam excuderit; ſed nec parvo
mihi conſtitit ſumptu, cum in ea elucubran-
da, præter accuratiſſimum ſtudium integri-
menſis, quidquid in me erat ingeniî, doctri-
næque conſumpſerim: ex aliis præterea meis
ſcriptionibus ſedulò excerpens, quæcunque
ad majus ornamentum transferri in eam poſ-
ſent. Imò, ut ingenuè, confidenterque te-
cum loquar, variis inſuper ad eam exornan-
dam uſus ſum aliorum ſcriptorum inventis,
ac ſenſibus: uti illa tam ſubtili, neque admo-
dum pervulgata D. Pauli explicatione, quam
ex Narnienſis concionibus in meam rem de-

sumpsi, illaque tam eleganti, & apposita similitudine, quam mihi Panigarola suppeditavit. Denique, quantum poteram, confusus sum labore, & industria, DEO sint grates, quod impensi conatus non omnino infeliciter cesserint. Si ego, inquam, sic respondeam, sincera hæc confessio prolixi temporis, studiique à me in eam lucubrationem collati, & alienæ supellectilis ad eandem exornandam hinc indè accersitæ, quodque illa extremus quasi terminus industriæ meæ sit; non parum profectò ad infringendam laudationem valebit, & ad efficiendum, ut opinio, quam alter de mei ingenii præstantia formatam in mente habebat, multis partibus decrescat, & vix non in sui pudorem, & contemptum mei transeat. Quod artificium commendandi aliquatenus res proprias ad magis hoc pacto deprimendum se ipsum animadvertere mihi licuit in libro meditationum P. Caroli Thomasi Clerici Regularis Theatini, super mysteriis ad Christi Domini cruciatus, & mortem spectantibus. Nempe in libri præmio insignis hic DEI famulus profitetur, morem quidem esse multis Scriptoribus sese excusandi, quod satis otii non habuerint ad lucubrationes suas perpoliendas,

das, quantum vellent, possentque: sibi tamen non licere hujusmodi excusatione uti in presentis suo opere, utpote quod, qualecunque demum sit, naturæ suæ habitudinis, & scientiæ spheram excedit: sanctissima nimirum DEI Matre opem ferente, qua non invocata nunquam ipse scribere aggreditur, & cujus presentis auxilium expertus est pluries in sensuum, & rationum ultro sibi occurrentium copia, quales suo studio, & ingenio nequaquam se inventurum sperasset, adeo ut inexpectatæ rei eventum non mirari nequiret. Ità ille, ipsamet rerum suarum admiratione ad contemptum, & depressionem sui utens.

12. Quarto, ut omnem gloriæ appetitum per contraria ipsi studia facilius in corde suo extinguat; nihil debet procul à se habere, aut intrà se tegere, unde contemni ab hominibus possit, imò potius curare, ut, quæcunque hujusmodi sunt, in se appareant, & contemptissima omnibus sint. Quandoquidem igitur plerique hominum habere despiciatui solent non modò hebetes ingenio, bonarum artium rudes, vitiisque, & morum probris deformes, verum etiam, quibus genus plebejum, vel inopes census contigerint, quosque pannoso amictu sordere, & servilibus
mi-

ministeriis occupari videant ; convenit suæ
 abjectionis , & despicientiæ amatori , ut in
 quacunq; ex materiis modò dictis eam qua-
 rat. Ac primò venari eam debet , quantum
 ad eas res , quæ si minùs naturæ suæ merito , at
 externa saltè in specie , & vulgi opinione con-
 temptum merentur : vestibus idcirco utens ,
 non solùm nullo ornatu , & splendore con-
 spicuis , verùm etiam crassis , minimi pretii , ac
 longo usu detritis : nec non opera abjecta , &
 servilia , puta humum verrendi , sarcinæque
 portandi , in propatulo exercens , nulloque
 alio cum hominum genere familiaritùs agens ,
 quasi ex eorum grege unus , quàm cum rusti-
 ci , agasonibus , bajulis , servis , mendicis .
 Præsertim quòd talia præter contemptum ,
 quem apud spectatores causant , non mini-
 mam quoque vim habeant efficiendi , ut ipse
 etiam de se humiliter sentiat. Experientia
 quippe palàm facit , multum affinitati , con-
 gruentiæque reperiri inter exteriorem nostri
 corporis habitum , & interiores animi sensus :
 ac proinde , quemadmodum magnificè or-
 natum incedere , splendidis muneribus fungi ,
 crebrùmque , & familiarem cum principibus
 viris usum habere , elatos nescio quo pacto ,
 & sublimes spiritus homini ingenerat ; adeò
 ut ,

ut, quamvis certò sciat, omnia hujusmodi rem sibi esse extraneam, & unde nullum possit veri pretii, ac solidæ dignitatis incrementum accipere; eorum tamen causâ per occultum, & practicum quoddam imaginationis ludibrium altiùs spirare incipiat, séque circumspicere, & majus quid sibi videri; ità moris esse è contrario, ut vestium, officiorumque, & sodalium humilitas congeneres sibi modestiæ, ac submissionis sensus inspiret: dùmque vilem homo exteriùs se videt, pro tali etiam interiùs se habeat.

13. Debet præterea contemptum apud homines ratione suæ stirpis, fortunæque aucupari, si fortè ignobilis, atque modica obtigerit: optans, ut compertum omnibus sit, abjectam parentum suorum conditionem, séque in re admodum tenui, & magna egestate educatum fuisse: neque ullam prætermittens occasionem, per quam id ignaris aperire, & revocare in memoriam scientibus possit: nulla interim ratione habita futilium terrorum, quos carnis prudentia illi objiceret: tanquam si per hanc, externasque alias, de quibus supra egimus, sui depressiones, necessariam ad proximos juvandos auctoritatem perditurus sit; hujusmodi enim auctoritas
ne-

nequaquam pro fundamento suo habet natalium, fortunæ, officiorum, vestiumque splendorem, rerum scilicet, unde nil homo sive quantum ad se, sive quantum ad alios perficitur; sed prudentiæ solummodo, virtutisque, & doctrinæ opinionem, decorum nempe, quæ hominem & præstantiorem in se ipso, & aliis iuvandis magis habilem reddunt. Quæ propter, seu harum dotium opinio nulla ex parte minuitur, eò quòd externa illa ornamenta deficiant, imò etiam plus sæpenumero incrementi indè capit, ratione majoris virtutis, quam homo exhibet in iis generosè aspernandis; sic consequens est, ut autoritas quoque, procurandæ aliorum utilitati necessaria, augeatur indè potius, quàm minima ex parte decreascat.

14. Nihil itaque metuendum servo DEI est, nè hoc abjectionis suæ genus minus se utilem proximis reddat; sed tunc id commodi jure posset metuere, cum præ humilitatis studio illos quoque suos defectus in apertum depromeret, per quos imminuitur rite alios excolendi facultas, quique conscios moverent, non ad ipsum modò, sed ad ipsius quoque culturam, institutionemque aspernandam, vel eam penitus repudiando, vel mi-
nus

nus fructuosè admittendo, cujusmodi sunt doctrinæ, prudentiæ, ac virtutis defectus. Quidnam igitur perfectæ humilitatis amatori faciendum est? En tibi paucis: juxta superiorem doctrinam, quoad interiorem animi habitum spectat, debet nihilò hic, quam uspiam alibi minùs sui despicientiam amare: ità tamen, ut, si erudiendi alios in literis, vel bonis moribus munus gerit; amet illam quidem, sed non etiam indiscriminatim apud omnes, hoc est apud suos quoque alumnos exquirat: nec proinde his juxta atque aliis aperiat, quidquid sibi deest prudentiæ, doctrinæ, & virtutis, sed patiatur emolumentum eorum causâ in bona æstimatione apud eos esse. Sin autem nullius præterquam sui cura ipsi incumbit, tunc sui contemptum non interiùs tantùm amet, sed extrinsecùs pariter apud omnes, & in quovis genere exquirat. Nè igitur parcat cuilibet, qui citra spirituale suum damnum talia auditurus est, omnes detegere sui animi labe, & morbos: malefacta nimirum, & flagitia superioris ætatis: repugnantiam, & difficultatem, quam in actibus virtutum etiam ordinariis experitur: impetum, quo à suis nunquam subactis cupiditatibus ad prava quævis facinora urgetur: fines perversos,

fos,

fos, aliósq̄ue tum externos, tum interiores defectus, quibus bona sua opera solent scedarī: vitia crassa, ipsísq̄ue etiā vitæ spirituales tyronibus erubescenda, putà gulæ, hypocrisis, invidiæ, æmulationis, iræ, tristitiæque ex levissimis, ac puerilibus causis, quæ per imbecillitatem virtutis nequit superare, & quorum impulsu in plurimas quotidie culpas prolabitur. Neque minori cum libertate sui ingenii, judiciique, & scientiæ tenuitatem palàm omnibus faciat: tum respondendo sinè ullis ambagibus, & tergiversationibus rotundè: *nescio*, quoties de aliqua re literaria non satis sibi explorata interrogaretur: tum promptè assentiendo, quoties aliis sese excusantibus invitatur ad solenne, publicumque aliquod munus, exempli gratiã ad concionem habendam, unde quia exiguum meditandi, scribendique tempus superest, plus præstolari possit ignominia, quàm laudis: tum denique narrando, quoties in familiari cum aliis congressu vel minima occasio se præbet, infelicem, probrosúmque exitum, quem in publicis aliquando disputationibus, vel alio ejusdem generis scholastico actu sortitus est: improbum laborem, & diutinum tempus, quo ad scriptionem vel mediocrem elucubratur.

brandam opus habet: pudendas hallucinationes, in quas loquens, aut scribens, circa historiarum acta, circa philosophiæ placita, circaque ipsam grammaticam incidit, & incidere consuevit: nec non alia ejusmodi, ex quorum relatu audientes conjiciant, quàm curta sit illius ingenii, atque eruditionis suppellex. Hæc siquidem instituta, hæque artes propriæ hominis sunt, qui inter votorum prima habeat, ab omnibus in quavis materia, & quantum maximè potest, contemni.

15. Postremò, quandoquidem intima hac omnimodæ abjectionis suæ siti æstuat, debet consequenter in sinu gaudere, quando-
cunque ipsi aliqua optatissimæ rei degustandæ occasio se præbet: sive quòd alios in hoc, vel illo laudis genere sibi antestare, plúsque, quàm se honoris, & plausuum referre videat: sive quòd aliquid publicè imprudens admisserit, unde plurimum sibi apud circumstantes dedecoris, ignominiaque provenit: sive quòd occultæ suæ labes foras emanaverint, inque vulgi ore, ac sermonibus sint: sive quòd aliquis flocci illum se facere ostendat, imperiosè, & petulanter cum eo agat, absentis famam malignis obtreccionibus laceret, præsentem derideat, objurget, dictis mordac-

dacibus carpat, conviciis fœdissimis oneret,
 extremoque contumeliarum, & opprobrio-
 rum genere afficiat. Ità sanè, quoties quid-
 piam horum evenerit, perfectæ humilitatis
 sectatio ab ipso exigit, ut, quod ad depressi-
 onem suam pertinet, gratuletur sibi, atque
 gestiat, non minùs, neque aliter, quàm si lo-
 cupletem invenisset thesaurum, illud sibi Gri-
 gonis Carthusiani monitum repetens: (c. 2.)
*Quisquis hoc agit (nimirum te deprimit) ad-
 jutor tuus est. Hoc enim agit, quod tu agebas,
 aut agere debuisti: gratùmque propterea ani-
 mum induens erga suos contemptores, velu-
 ti erga homines de se optimè meritos, utpo-
 te qui se adjuvant in tanti momenti negotio,
 quanti est à terrenis quibusque affectibus cor
 expurgare. Qualem D. Paulus testatur ma-
 gni Legislatoris Moyfis sensum fuisse, cum
 (Ad Hebr. 11.) negavit se esse filium Phari-
 saeorum: majores divitias existimans thesauro Agra-
 ptiorum improprium Christi: & qualem suum
 esse animum tum ipsemet prodidit illis ad
 Corinthios verbis: (2. c. 12.) Placeo mihi in
 infirmitatibus meis, in contumeliis; in persecutio-
 nibus, in angustiis pro Christo; tum reliqui item
 Apostoli prodidère, quando à Judæis cæsi-
 lbant gaudentes à conspectu concilii, quoniam de-*

gni habiti sunt, pro nomine Jesu contumeliam patii. (Act. c. 5.)

16. Denique, ut hactenus dicta breviter colligam, cui propositum est toto corde DEUM amare, amorémque suum à terrenis quibuslibet bonis avellere; ita conformare animum debet, ut nullam apud homines æstimationem, & gloriam seu appetat, seu oblatam libenter recipiat; sed potius aversetur, declinetque, & quantum potest, propulsare à se studeat: tanquam de infortunio suo dolens, si quando id sibi minus è sententia successerit: excepto duntaxat, ubi proximorum utilitas eam cogit admittere: quod tamen tunc etiam invito animo, & ex mera alieni majoris boni voluntate faciendum illi est. At circa ignominias, suique depressiones contrario prorsus modo debet se gerere; nunquam nimirum eas cum horrore, & aversatione animi intuens, neque aut trepidans, nè fors superveniant, aut iis supervenientibus ægritudinem sentiens: imò potius desiderans, ut omnes, quantum citra culpam fieri potest, contemptim de suis rebus loquantur, seque minimi pendant, severè increpent, non sinè risu intueantur, & pro homuncione vilissimo habeant. Unde juxta D. Joannis

Climaci dictum : (*Grad. 4.*) *Omni die, quo maledicta non sustinet, ingens detrimentum se fecisse arbitretur, alteraque ex parte oburgationes, & irrisiones, tanquam mel, & lac bibat, congratulans sibi, si quis verbo, seu facto abjectam de illo opinionem præferat, seque ita despicientis iudicium plenissimè approbans, imò persuasissimum habens, minùs se ab illo contemni, quàm sua indignitas posceret, neque se purgans, suæque innocentiae argumenta proferens, si falsò reus fiat: sed humilitate oburgationi suæ quodammodo assentiens, perinde quasi revera obnoxius obiectæ culpæ esset, nihilque reponendum ad defensionem sui haberet: & de illa qualicumque sua ignominia intrà se exultans: quia imò in quovis alio genere, & loco abjectionem sui deditâ operâ, omnibusque aliis artibus quærens, quas suprà universè probavimus: nisi tamen alicubi peculiaris quæpiam lex, aut incommodi, & detrimenti alieni timor obstaret, nec proinde unquam, nisi cum expresso sui moderatoris consensu. Nam alioqui solum iudicii proprii ductum, & regimen sequens, falli pluries posset, neque satis discernere, ubinam, & quatenus prædictæ exceptiones vim habeant. Quibus for-*

tè nova hæc adjungi insuper posset, nè scilicet omnimodum, extremumque nostri contemptum apud illos etiam quæramus, qui ætiori nobiscum sanctæ amicitæ, & spiritualis familiaritatis nexu junguntur. Cùm consentaneum rationi videatur, ut apud hos vel perfectissimæ humilitatis sectator in aliqua saltèm mediocri æstimatione ferat se esse, tanquam conditione, sinè qua deficeret vel amicitia, vel amicitæ, & fraterni commercii suavitas.

17. Superest ad complementum materiæ, de qua scribimus, aliquid subdere circa averfationem, & fugam amoris humani, rem nimirum vix à præcedenti diversam. Cùm enim amari nequeat, nisi quod in aliqua æstimatione habetur; cui invisa est bona aliorum de se æstimatio, fieri non potest, quin ejus respectu aliorum quoque erga se amor displiceat; ubi tamen nollem, aliquis opinaretur, me loqui de quocunque amore, vel supernaturali, & rationibus divinis innixo, cujusmodi est universalis propter DEUM erga proximos charitas. De privato duntaxat, & merè humano amore sermo mihi est, nempe illo, qui vel ex innata genii propensione erga personam dilectam, vel ex observatis, pro-

batisque naturalibus ejusdem prerogativis oriri consuevit. Et hunc dico ab homine, qui alienam sui æstimationem, utpote amoris proprii pabulum, & divini impedimentum horrescit, iisdem de causis esse omnino aversandum, juxta exemplum integerrimæ Christi Sponsæ Gertrudis, quæ ut vitæ ipsius monumenta testantur, cavebat maximè ne cujusquam cor sibi attraheret, neve in ejus se insinueret amicitiam, unde postea occasione à DEO detraberetur. Omnem enim amicitiam humanam, cujus animadvertere potuit causam, fundamentumque non esse DEUM, àt virus lethale horrebatur. Unde aded pro DEI zelata est amore, ut nè unum verbum tolerare æquanimiter posset, quod humanum redoleret amorem. Nam licet maximè eguisset, obsequiis tamen, & beneficiis cujuscunque maluit carere, quàm admittere, ut humano favore cor cujusquam secum occuparetur. (Ios. Lib. 1. c. 7.)

18. Quod porrò ad praxim sancti hujusmodi odii pertinet, cui omnes implere illius memoros cordi est, sequentes sibi regulas sedulo observandas proponat. Prima est, nè à ullo mortalium amari merè humanitus vel à ulloque artificii genere ad ejusmodi amorem sibi conciliandum utatur. Secunda, ut

quempiam tali pacto erga se affici advertens ,
nè gratum id habeat , sed molestè potius fe-
rat , ut rem admodum periculosam , quæque
suis illecebris à DEO abducere animam solet.
Tertia , nè privatum illum alterius affectum
ullo grati animi , & mutui amoris indicio ,
imò neque animadversum sibi esse ostenden-
do foveat : quin contra abolere , & extingue-
re modis omnibus curet , quàm rarissimè ni-
mirum cum eo agens , neque blandè , & fami-
liariter , sed frigidius , ac jejuniùs , quàm cum
plerisque aliorum soleat , suosque illos præ-
cipuè homini aperiens naturales defectus ,
qui illius refrigerare amorem , & alienare à
se animum possunt. Quarta , ut veluti parti-
cularem hominũ erga se benevolentiam mi-
nimè appetit , sed reformidat potius , fugit-
que , nec delectationis , sed tristitiæ potius
sensum indè haurit ; sic eorundem à se abali-
enationem minimè timeat , & de ea dolendum
sibi putet , sed in lucri veriùs loco , & pro læ-
titiæ materia habeat : aut si propter aliquam
se averfantium culpam mœrere cogitur ; mœ-
ror ille omnis nullum aliud objectum , nisi
spirituale eorum malum respiciat. Quinta ,
ut , quandoquidem níl pensi habet , quali na-
turaliter erga se voluntate , amicane , an con-


traria homines sint; liberum perpetuò à ser-
vili quolibet aliorum respectu animum ser-
vet. Et omnes quidem, qua par est profe-
quatur reverentia, nullique justam præbeat
alienationis à se causam; sed veluti hæc facit
ex mero supernaturalis charitatis impulsu,
non autem ex vili, & privato alienæ seu con-
ciliandæ sibi gratiæ, seu malevolentæ vitan-
dæ respectu; sic nullo aut illius studio, aut
huius metu induci se sinat ad cujusquam per-
versæ voluntati obsequendum. Verum, esto
hi torvo vultu aspiciant, illi jurgiis, minisque
obstrepant, faciat impavidè, quidquid justum
factu esse videt: dicat securè, quidquid veri-
tas, & ratio monstrat esse dicendum, jus sal-
que tueatur, iniquitati obsistat, peccantium
licentiam castiget, grande emolumentum exi-
stimans, divini obsequii causâ in hominum
odia, & offensiones incurrere, juxta illud
Euangelii oraculum: *Beati eritis, cum vos ode-
rint homines, & sùm separaverint vos, & expro-
braverint, & ejecerint nomen vestrum, tanquam
malum, propter filium hominis. Gaudete in illa
die, & exultate. (Luc. 6.)*

19. Felix enimvero, qui magnanimitate
modò dicta pedibus supposuerit, quidquid
sentire de se homines possint: nihil eorum si-

ve æstimationem, & benevolentiam, five a-
 versas voluntates, & sinistra judicia pensi ha-
 bens, imò de his gaudens, illásque fastidians.
 Quantam de corde suo molestissimarum per-
 turbationum, timorum, anxietatum, ægri-
 tudinum sylvam uno ictu præcidet? Quàm
 jucundam securitatem, pacémque animi pos-
 sidebit? Quàm expeditus, libérque erit ad
 sese totum DEO, & sanctissimo illius amori
 impendendum? Quemadmodum nullum est
 miserius, viliúsque servitii genus, quàm ani-
 mum alienis judiciis, sensibúsque obnoxium
 habere; sic nulla suavior, & nobilior liber-
 tas, quàm iisdem superiorem omnino esse.

CAPUT XXX.

Insignia quædam aversi ab hu-
 mana æstimatione, & gloria ani-
 mi exempla.

Uàm enixè dignitatum splendor
 timeri, vitarique à Christianæ
 humilitatis sectatoribus solet,
 innumera fidem faciunt exem-
 pla, sed imprimis hæc tria, quæ ex omnibus
 reliquis, tanquam totius generis specimen

Ccc 5

pla-